



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Conversio S. Pauli 25. Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

25. Ian. VITÆ SANCTORUM. 63  
libet partem valent indifferentem adduci;  
cum ipsis corporalibus incrementis coæva  
virtutum exercitia coalescunt. S. Petrus  
Dam. l. 6. Ep. 26.

CONVERSIO S. PAULI 25. Ianuarij.

**A**Nnus, qui post CHRISTI ad Superos  
reditum erat secundus, idem secun-  
dissimus SAULO fuit. Hoc enim ille,  
personâ feliciter positâ, PAULUM in-  
duit, adnitente potissimum apud DEUM  
D. Stephano, non minus tum in cælis,  
quàm terris olim pro hostibus suis pie  
solicito. Ibat SAULUS minarum ple-  
nus, & in vincula ipsam (si Superi si-  
nerent) fidem tracturus; cum ecce tibi  
subita ab alto vis fulgorque audaciam  
attonito omnem excurrit, & feroces  
humi spiritus cum domino suo affligit,  
simul vox istiusmodi cælo intonat: *Sau-  
le, Saule, quid me persequeris?* mox scif-  
citant: *Quis es Domine?* responsum  
redditur: *Ego sum JESUS Nazareus,  
quem tu persequeris.* Atque hæc demùm  
vox illam nobilissimam expressit: *Do-  
mine quid me vis facere?* Ergo Damas-  
cum conferre se iussus, eò à comitibus,  
& ipsis rerum gestarum miraculo stu-  
pentibus abducitur. Ibi triduum aper-  
tis oculis cæcus ac jejunos ab Anania  
demum & oculorum, &, quod caput est,  
fidei donatur lumine. Hoc ille deinceps  
per



per omnes provincias circumferens to-  
gentibus accendit, ut rem mihi attentius  
consideranti unus quidem hodie ce-  
disse PAULUS, ceterum surrexiss-  
cum PAULO totus orbis videatur. *Ex*  
*Act. Apost.*

*Sicut modò nemo est, qui reconciliari non*  
*possit, ita post paululum nemo, qui possit*  
*Noli ergo contemnere Dei misericordiam*  
*si non sentire vis justitiam. S. Bernardus*  
*serm. 1. in Epiph. Dom.*

## S. POPPO CONF. 25. Ianuarij

**V**idetur POPPO ad gloriam paternam  
bellicasque laudes ab ipso matris te-  
tero properasse. Etenim jam tunc late-  
re respuens septimo statim mense in lu-  
cem, mox ubi per ætatem licuit, ad bel-  
lum prodiit. Pietatem tamen comitem  
secum traxit, & subinde ad vestigia  
Christi Ierosolymam, alias Romam  
ad Principum Apostolorum limina in-  
visit. Redux, dum nuptias easque illu-  
stres cogitat, jamque ad has equo pro-  
perat, caelesti luce se animumque atque  
adeò hastam etiam suam fulgere ani-  
madvertit. Inde omen auspiciumque  
melioris militiæ capit, & sacramentum  
apud monachos dicit. Inter tyrocini  
tempora cum fletu alios inundari, ipse  
pumex, videret; saxo è pectore fon-  
tem oculis statuit petere, quod factum  
postea